

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies primus et secundus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romæ, 1866**

§. III. Anonymi, qui S. Fidis sepulturam, corporis inventionem et ecclesiæ  
in ejus honorem erectionem descripsit, antiqua ætas ostenditur, et illæ ex  
hoc recitantur: ecclesiæ illius situs et ab ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73889](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-73889)

AUCTORE  
J. G.

*tyres, ubi eorum extant reliquiae, quod et ex Gregorio Turonensi lib. i Miraculorum cap. 47 probat, ubi SS. Nazarius et Celsus apud Ebredunum, Galliarum urbem, passi et sepulti narrantur; cum certo tamen Mediolani gladio sublati fuerint, eorumque Ebreduni reliquiae tantum serventur.*

*ut et an duo postremi vere Aginnenses martyres sint, inquiritur.*

*23 Verum, ut et qua contra Papebrochii opinionem faciunt, candide deponunt, cum SS. Primi et Feliciani Romanorum martyrum corpora, qua erant in Arenario sepulta via Nomentana, sub annum 648 primum revelata fuisse videantur, ut Anastasius Bibliothecarius, cuius verba citata pag. 150 leges, in Vita Theodori Pontificis sae manifeste innuit; atque ex adverso in Surianis aliisque Actis, judicio scriptorum Historiarum litterarum post medium saeculum vi, imo, ut num. 11 et alibi ostendimus, multo ante conscriptis, de Primo et Feliciano, ut Aginni aliquando passio seputusque, expressa mentio fiat, haud ita liquet, hosce diversos non esse a Primo et Feliciano, Romanis martyribus, quorum Acta die 9 Junii Papebrochius et Henschenius illustrarunt. Adstruendas horum martyrum diversitati etiam favel, quod, ut citato loco refertur, S. Primi corpus et reliqua S. Feliciani, Roma passorum, adhuc anno Christi 846 ibidem existenter, quo tempore Acta SS. Fidis et Caprasii a Surius Labbeoque edita, quae de martyrio ac sepultura Aginnensem Primi et Feliciani meminerunt, certo certius conscripta erant, uti ex Actorum exemplaribus, quae, teste Ruinario in Praef. pag. 67, in codicibus ab annis 900 exartis habentur, liquido patet. Ceterum, cum res hæc die 20 Octobris in Vita S. Caprasii rursus discutienda sit, nihil hic definire volo, si forte ante hunc diem, quod vehementer exopto, supplendentur documenta, quibus et de natali die S. Caprasii deque Primo et Feliciano Aginnensibus, ut quidam volunt, martyribus, undeque tandem se veritas manifestet, pateatque, an, et qui, præter Aginnenses anonymos, qui credentes in Dominum Jesum Christum, capitibus cœsis, unius dies hora cum triumpho martyrii ad coronam gloriae cum S. Fide perseverunt, eidem Martiri adjungi comites debeant.*

Martyrii S.  
Fidis epocha

*C* *24 Religuum est, ut, qua circa martyrii S. Fidis epocham in controversiam cadunt, paucis expediamus. Ex omnibus, qui id argumentum tractarunt, solus est Ms. nostri Florarii auctor, qui illius martyrium post Diocletiani mortem collocavit, errore utique manifestissimo, et contradicentibus tum Actis omnibus, tum scriptoribus ceteris. At, licet hos inter omnino conveniat, S. Fidis martyrium temporibus Diocletiani et Maximiani illigandum esse, non invicem idem consentiunt, an durante atrocissime persecuzione, anno 303 adversus Christianos incentore Galero Maximiano commota; an vero sub Diocletiani et Maximiani Herculii imperatorum initia, quibus peculiares in quibusdam provinciis excitatae fuerunt persecutions, idem illud martyrium statendum sit. Priorem sententiam sequitur Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi 303, consentiuntque præter alios multos Antonius Dadinus Alleserra lib. iv Rerum Aquitanicarum cap. 47, pag. 297, Joannes Baiole in sua Historia sacra Aquitanie lib. II, cap. 4, pag. 70, et Dionysius Sammarthanus tom. II Gallie Christianæ auct. col. 893. Verum, cum eo tempore in Gallia imperarit Constantius Chlorus, qui, teste Lactantio cap. 45 de Mortibus perse-*

*cutorum, ne dissentire a majorum præceptis D videtur, conventicula, id est, parietes, qui restituí poterant, dirui passus est, verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolumē servavit; hinc multo probabilius est, non sub annum 303 qui 304, sed sub finem saeculi tertii in peculiari quadam persecutione, a Maximiano Herculio excitata, S. Fidem martyrio coronata fuisse, tunc nempe, cum, Bagaudarum ducibus Aeliano et Amardo, qui in Galliis imperium occuparunt, uno fere impetu anno 286 oppressis, Maximianus Herculus ad usque annum 292 in Galliis plerumque moratus est, suamque in Christianos rabiem saepe exercuit, uti Tillemontius tom. IV Monument. Eccles., Fleury, tom. II, Hist. Eccles. lib. viii, Longuevallius, tom. I Hist. Eccles. Gallicanæ pag. 143, altius passim existimat, qua de re plura etiam apud nos vide tom. II Octobris pag. 354 et 355 ac saepe alibi; quapropter et ego hujus Commentarii initio sub annum 287 S. Fidis martirium verosimiliter statuendum duxi.*

*25 Porro eodem die, quo S. Fidis Passio collatur, repsa etiam illius Sociorumque anonymous rum martyrium contingisse, Acta nostra insinuantur, dum postquam narrassent, eam Sociosque, capitibus cœsis, unius diei hora cum triumpho martyrii ad coronam gloriae simul pervenisse, diem illum ita mox exprimit: De quorum passione SECUNDA NOVAS OCTOBRIOS nos gaudere et illustrare voluit, qui gloriantur in Sanctis, Dominus noster Jesus Christus. Consentunt non modo recentiores, sed et martyrologi antiqui, quos Classicos vocamus; nec dissonant Wandelbertus, tametsi hoc die scribat S. Fidem pridie hinc felici morte triumphasse; quippe qui per vocem pridie non alium diem, quam prius PRIDIE NOVAS OCTOBRIOS seu sextus dicitur, pro suo more designet, uti ex simili ejus loquendi modo in mensibus Martio, Aprili, Maio, Junio aliisque manifestum sit. Bulla quoque Paschalis PP. II ad Begonem abbatem Conchensem data, quam infra habes ex tom. I Anecdotorum Edmundi Martene col. 337, nihil adversus nos facit: cum hec Pontificis verba ante secundum Nonas Octobris ad vigilias jejuniunumque, pridie festi S. Fidis apud Concheses servari solita, referenda sint, minime vero ad ipsum emortualem S. Fidis diem, qui pridie Nonas ex scriptis antiquis, eodem etiam Pontifice F judice, statuendum est.*

### § III. Anonymi, qui S. Fidis sepulturam, corporis inventionem et ecclesiæ in ejus honorem erectionem descripsit, antiqua ætas ostendit, et illæ ex hoc recitantur: ecclesiæ illius situs et ab altera distincio.

*D*iscussis, qua circa S. Fidis in Ecclesiasticis Fastis memoriam, natale ejus solum, variaque altero, qui martyrii adjuncta moveri natæ sunt quæstiōnibus, ad ejus corporis sepulturam, primamque trans-

*Ex anonymo  
Fastis memoriam, natale ejus solum, variaque altero, qui martyrii adjuncta moveri natæ sunt quæstiōnibus, ad ejus corporis sepulturam, primamque trans-*

A translationem nunc progredior; de quibus cum nihil dicere ex Actis illis valeamus, quibus nos antiquitatis palmam dedimus, in subsidium vocanda hic sunt Labbeana, aliaque his affinia SS. Fidis et Caprasii Acta, quae, uti ante monimus, prexter Martyris nostre sepulturam, ejusdem a S. Dulcidio, Aginensi episcopo, factam translationem ecclesiisque erectionem diserte commemorant. At prius de eorum haec in re auctoritate et fide quedam observasse juverit. Acta illa, utut nostris, ex Ms. codice reginæ Suecic infra edendis, juniora; tamen sub S. Dulcidii tempora conscripta fuisse, ipsa horum auctoris verba, inferius expendenda, insinuant, suadentes antiquissimi codices MSS., nec ipsi diffidentur Tillemonius et Historia litteraria Francie auctores jam sape laudati. Ex quibus consequens est, horum scriptorem, utpote S. Dulcidio synchronum, ac fortassis oculatum translati ab eo præsulo S. Fidis corporis, erectaque ecclesie testem, magnam in hisce rebus mereri fidem. Et quamquam scriptoris hujus, sepulturam sancte Martyris, cui ne quidem suppar visit, enarrant, auctoris non parisi momenti sit, hac nihilominus tantu habenda est, ut ejus dictis fidem non abnegemus. Etenim, utut in recensendis martyrii S. Caprasii adjunctis aliquot minoris momenti, et quorum proin lapsu temporis facile aliqua ex parte viatatur memoria, auctor ille minus accuratus videatur, in iis tamen, que de humatis SS. Fidis et Caprasii corporibus traditi, accuratior fuisse, non immerito censeri potest, cum et suis ipse oculis locum, ubi horum corpora jacuerant, videre, ceteraque huc spectantia ex iis facile intelligere potuerit, qui tinctos horum Martyrum sanguine panos, sibi a majoribus traditos, una, ut credibile est, cum tota sepulture serie, ut rem sacram, diligentissime asservarant.

cuius episcopatus epocha

C 27 Superest tamen, ut, priusquam sepultrum S. Fidis primitusque translationis narrationem ex hoc scriptore recitamus, non levem de ejusdem translationis, ceterorumque, quæ hinc dependent, epocha controversiam dissolvere tementem. Translata a S. Dulcidio, Aginensi episcopo, fuisse sanctæ Martyris nostre ac sociorum corpora, conceptis quidem verbis laudatus Actorum scriptor affirmat, quem et erudit, uti ante monimus, sub hujus Præsulii tempora floruisse non negant; verum cum nec ipse, nec alii auctores synchroni episcopatu S. Dulcidii adcererint notam chronicam, unde vel ipsum seculum, quo is sederit, indubio dilucideque definias, non una est de tempore, cui tum corporis S. Fidis translatio, tum alia, quæ huc spectant, illiganda sint, eruditorum opinio. At Tillemonius quidem tom. IV Monum. Eccles. pag. 513 Dulcidii episcopatum, atque adeo et cetera, quæ hinc consequuntur, initio seculi v innectit, non tamen ita confidenter, quia eadem etiam serius figi posse, mox asserat; cuius posteriori sententia scriptores Historia litteraria Francie tom. III, pag. 273 non modo subscribunt, sed et episcopatus, judice Tillemonio, fortassis differendi, spatium ad usque seculum vi, media sui parte evolutum, determinante extendunt, que circiter tempore, ex eorum opinione S. Fidis aliorumque Aginensis martyrum translationi facta, eorumque Acta conscripta fuerint. Contra vero Sammarthani fratres ac post eos Dionysius Sammarthanus tom. II Galliae Christianæ aucte col. 897 S. Dulcidium, non solum S. Phæbadii Aginensis episcopi, sub seculi iv exiit defuncti, diaconum ac discipulum, sed et

ab eo jam senescente successorem designatum fuisse tradunt, laudantque Aginensis ecclesie Proprium, in quo S. Dulcidius, defuncto magistro, Deo volente, omnique populo clamante, in episcopali (Aginensi) cathedra constitutus legitur, nimur inuenire seculo v, cum, teste utraque Gallia Christiana, eam anno 405 S. Dulcidius tenerit. Ex qua opinione consequens fit, etiam reliqua, quæ ab episcopatus ejus epocha dependent, inueniri seculo v illiganda esse.

28 At, sciscitaberis, utri potius sententie adhucendum? Respondeo, neutram quidem mihi omnino certam videri, at posteriore multo placuisse, tum quod priori nullus utcumque velut auctor nullaque urgens ratio suffragetur, tum quod posterior antiquior communiorque sit, ac præterquam quod Aginensis Breviarii, aliorumque auctoritatem nitatur, aliunde etiam firmari queat. Etenim, cum Aginensis basilica S. Caprasii, ad quam anno 581 Ragnovaldi uxorem, tamquam ad antiqua religione, uti apparel, venerandum tulissimumque asylum configuisse, Gregorius Turonensis lib. vi, cap. 12 Hist. Francorum scribit, jam tum seculo vi celeberrima fuerit, immo ex constanti Aginensis traditione, cui monumenta, tredecim seculorum vetustiora, patrocinari assertit dominus Labenazie pag. 12 Dissertationis de episcopatu S. Caprasii, eadem hcc basilica vel sub seculi iv exiit exedificata passim credatur, consequens hinc sit, ac, si Aginensis traditione undeque subsistat, indubitatum evadit, episcopatum Dulcidii a seculi v initio dimoveri non posse, cum ecclesia illa condendis S. Caprasii reliquiis a prefato praesule erecta fuerit, ut etiam Translationis S. Caprasii auctor his verbis testatur: Tamdem S. Dulcidius, Agenensis episcopus, ad hoc opus se dedit, ut pulchram ecclesiam ad reconendum sancti martyris (Caprasii) corpus fabricaret, quam ejus meritis adjutus celeri instantia consummavit. Denique opinioni nostræ etiam patrocinatur Actorum, quæ apud Labbeum aliasque extant, antiquus auctor supra laudatus, dum in suo Prologo, qui in nostro codice Ms. olim Vallicellensi, inque apographis MSS. San-Maximini Trevirensis, Ultrajectini S. Salvatoris et Rubexwallis reperitur, se eo tempore Martyrium SS. Fidis et Caprasii conscripsisse dicit, quo per succendentium relationem rei geste (Passionis eorum) memoriam nondum intercepit oblitio. Quippe, cum verba hæc non, nisi minus apte, ad trium fere seculorum spatium extendi queant, atque ex adverso multo aptius de uno seculo paucisque superadditis annis exponantur, quo nimurum temporis spatio per quatuor aut quinque sibi succendentium generationum relationem ipsis suis martyrii precipiorumque adjunctionum memoria facile adhuc viguisse potuit, hinc mihi etiam vero proprius videtur, S. Dulcidium, cuius tempore auctor ille scripsit, sub seculi v initium, atque adeo centum circiter et quatuordecim annis post S. Fidis martyrium Aginensem sedem tenuisse, eoque proin tempore translationis, de qua agimus, figendam esse epocham.

29 Neque opinionem hanc graviter quatunt tametsi non ejusdem auctoris verba, quibus Dulcidium sedisse nullum, que inquit, cum jam frequenter in Aquitania monachi essent, aut contra ejusdem anonymi statutam a nobis statutam multum faciunt, quæ de innumeris ad S. Fidis sanctique Caprasii decentiores tumulos patratis deinde miraculis scribit. Nam quod ad primum attinet, ecur non potius seculi v initio

AUCTORE  
J. G.

sub seculi v  
initium pro-  
babilius sta-  
tuenda est,

AUCTORE  
J. G.

*tio frequentes in Aquitanian monachi fuissent, quo tempore imperatori Honorio, Ecclesiastico ordini propense dedito, huc provincia suberat, quam sub medium saeculum vi, quo tempore Gothorum principum, Arianorum et Orthodoxis infestorum, dominio erupta quidem per Francos erat, at non ita pridem, ut, cum sub Gothis, vel ipsa, ut Sidonius lib. vii, epist. 6 testatur, clericalis disciplina, imo et memoria illic periret, monachorum institutum latius tunc restauratum, quam invenit sexto v. propagatum in Aquitania credi debeat. Ut id est, certe sub saeculi v initium ac non paucus ante tempore sat frequenter in Gallia fuisse monachos, S. Gregorius Turonensis variis locis et auctor *Carminis de Providentia divina*, S. Prospero a quibusdam adscripti, non obscurae ostendunt. Denique ut testimonia varia, quae in *Præfatione Mabillonii in saeculum i Benedictinum a num. 47 recitantur*, hic prætermittam, ad S. Martini, Turonensis episcopi, ante saeculi iv exitum defuncti, exequias monachorum duo fere millia, ut *Sulpitius Severus scribit*, convenisse dicuntur. Quidni ergo etiam paulo post in Aquitania Secunda sat multi existiterint monachi, ut*

B eorum turbas aliquot convolare S. Dulcidius potuerit, que transferendis in decentiorem locum S. Fidis aliorumque Aginnensium Martyrum corporibus una cum ceteris clericis solemnem ritu assisterent?

contra eam  
opponi pos-  
sint.

30 Quod vero ad innumerata illa miracula pertinet, que jam ante, quam anonymus scriberet, ad S. Fidis sepulcrum patrata erant, hinc minime consequens est, eum non nisi diu post ejus corporis revelationem suum Opus inchoasse, cum, teste auctore secundo ejus *Translationis*, stilo soluto conscripte, illico, ut S. Fidis corpus honorifico loco a S. Dulcidio conditum fuit, cœperit prelibata Christi Sponsa et Martyr tantis miraculorum signis præfulgere, ut caecos illuminaret, surdis auditum redderet, energumenos curaret, et omnis infirmatum genera a variis languidis depelleret, cui et auctor ejusdem secunde *Translatio*, metrico conscrippte, consentit, ita canens:

C Post revealatum corporis thesaurum Fidis martyris, virgo sacra prodigiis copiæ clarebat plurimis. Neve dubites, quin de translatione, a S. Dulcidio facta, uterque scriptor agat, hujus antistitis nomen prior scriptor diserte præmittit, alter vero mox subdit: Sub ejus \* quidem nomine ecclesiam mirifice Dulcidius erexerat, qui præsul urbis aderat, ac paulo post de eodem agens ita pergit: Solius autem Virginis corpus seorsum condidit in quadam aedificio, constructo in suburbio. Illo in loco Dominus tribuebat petentiibus, que erant necessaria, per ejus patrocinia. Agris namque remedium, multis lingue officium, caecis praestabat lumina, functis vite spiramina etc. Quæ omnia cum vel ipso prime translationis anno vel paucis subsequentibus contingisse videantur, non est, cur ob miraculorum, ad S. Fidis tumulum patratorum, multitudinem præstatum ejus Martirii ac prime Translationis auctorem a saeculi v initio multis annis removemus, aut prime translationis minus, quam corum, que hanc mox consecuta narrat, idoneum synchronumque testem habeamus. Atque hæc paulo fusiū disputare libuit, quo prima S. Fidis translationis ejusque ab hac inchoati solemnioris cultus historia ipsaque epocha certiores manifestioresque eravant.

31 Nunc ergo ex hoc scriptore, cuius de hoc argumento dictis et Vitz metricæ S. Fidis auctor,

\* S. Fidis  
recitat  
S. Fidis se-  
pultura,

fortasse Hildebertus, Cenomanensis episcopus, et D antiqua Breviaria, interque recentiores Tillemonius, Bailletus, Longuevallius atque sum calicum adjecterunt, sepulture primæque translationis narrationem hic subjecimus. Ita ille apud Labbeum tom. II Bibliotheca MSS. pag. 530: Horum ergo (S. Fidis et Aginnensium Martyrum) corpora, tormentis miserabilibus laniata, cæsisque capitis obtruncata, infidelis gentilitas in plateas tamquam neglecta reliquit: quæ devota \* al. in platea Christi plebecula latenter cum summa veneratione colligens, et sacri effusionem crux mundissimis pannis extergens, indigno tante sanctatæ in loco sepulturæ commendarunt; ubi non tam sepelisse, quam recondisse viderentur. Gravi enim percussa pavore verebatur, ne Sanctorum corpora malignorum invidia alias transfrerent; aut, quod nefarium est, tetris vicini gurgitis fluminibus mergerentur, et sic sanctæ \* al. fluminis Christianitati malitiose abnegarentur. Sed Dei gurgitibus providentia a Fidelibus actum est, ut urbs, quæ eos habuit inquinilos, tripartito, ortus videlicet, passionis et sepultura honore dictata, eosdem ad præmerendam omnipotentis Dei gratiam habere mereretur et patronos. *Hactenus anonymous* E scriptor antiquus, ac Lactantio quidem et Eusebio admodum in iis, que primo loco narrat, consenteat, quorum nempe testimonio constat, tyrannorum jussu sacra Martyrum corpora in flumina vel maria facta secesserint, alioremodo Christianis, ne hæc in veneratione ipsis essent, subducta, ut præ similem suorum Martyrum corporibus sortem metuere abs Daciano jure merito potuerint Aginnenses, atque adeo magis de illis, ut poterant, illico recondendis, quam utecumque honorifice tumulandis solliciti esse debuerint. Porro locus ille, ubi horum corpora congesta fuerant, hodieque Aginnensibus in veneratio est et a repositis Martyrum exuvias Martirii nomen obtinuit, quod et etiamnum servat, uti Chesnus in *Antiquitatibus Gallie* pag. 797 et Saussayus ad hunc diem pag. 695 testantur.

32 Jacuerant obscuro illo loco coæterratae potius, quam sepulta S. Fidis aliorumque Aginnensium Martyrum corpora, cum S. Dulcidius, Aginnensis episcopus, per noctis quietem divinitus admonitus, transferendis in decentiorem locum sacris exuvias manum admovit. Quo pacto hæc contigerint, suis anonymum verbis narrantem F audiamus: Quo in loco (prime nimurum sepulture) multis annorum recursibus sancta jacuerunt corpora, donec, ablata omni gentilitatis prophanitate, S. Dulcidius episcopatum suscepit, et pastoralem curam gerens pro omnium salute vigilaret. Cui præsuli ante omnia placuit, ut Sanctorum reliquias ab indecenti elevans loco, in eorum veneratio, nova constructa basilica, in lucem efficeret, ecclesia ipsa sanctæ Virginis titulo dedicata. Qui cum tantum thesaurum aperiret, non tamen incredulus, sed metu et reverentia territus, diutius dubitaret; ad ultimum per noctis quietem admonitus, ne negligenter dimitteret, quod fideliter cooperat, convocatis monachorum turbis, ac ceteri ordinis prelati, secretum suum omnibus detegit, quorum consilio adjutus ad effectum usque perduxit. Eorum autem votis cætera plebs concordans Sanctorum reliquias de loco ignobili honorifice erigunt, et in locum sacrum statuant, quorum meritis ad salutem omnium innumeræ cælitus patrantur miracula, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat per

A per omnia sæcula sæculorum. Amen. Ita rursus laudatus anonymous, cuius tamen verba, cum non satis distincte ecclesiæ, sanctæ Virginis nostræ titulo dedicatae, situm exponant, atque in una eademque a Dulcidio constructæ basilicæ tam S. Fidis, quam aliorum Aginnensium Martyrum corpora honorifice condita fuisse, asservare videri possint, clarioribus alterius anonymi dictis excipere placet, illius nempe, qui factam ex Aginnensi urbe ad Conchense monasterium S. Fidis translationem stilo soluto complexus est, de quo suis infra erit dicendi locus.

*ecclesia in  
ejus honorem  
erectio*

33 Ita hia num. 5: Post multa autem annorum curricula, omni gentilium furore remoto, quidam vir sanctus, cui nomen Dulcῖus, ad pontificatus dignitatem provectus, omnibus posthabitis, ecclesiam foris murum ejusdem urbis (Aginnensis) ad Septentrionale clima in suburbio construxit, eademque sub sacra Virginis (Fidis) veneratione coelesti Sponso consecravit. Hoc ergo teste, dicata S. Fidis titulo ecclesia extra urbis muros erat, atque, ut mox subdit, Beatissimam... virginem Fidem, quæ cæteros (Aginnenses martyres) in palma martyrii præcellit, in basilicam eamdem cum maxima honorificentia mausoleo pretioso marmore exciso (S. Dulcidius) commendavit, in quo, ut rei gestæ usque hodie prodiit veritas, litterarum anaglypha\*, titulus passionis ejus sub fastigio brevitatibus inscriptus est. Porro non in hac, sed in ecclesia omnino diversa, S. Caprasii, ac reliquorum fortassis Aginnensium Martyrum corpora a Dulcidio condita fuisse, apertissime declarat idem scriptor, ita pergers: Sanctum vero Caprasium intra muros urbis ad ecclesiam, ibidem (ab ipso Dulcidio, ut fert antiquissima traditio) fundatam, detulit, eumque consimili honore in sarcophago item marmoreo diligentissime depositum. Consentit, qui et fortassis, ut infra dicetur, anonymo illi prævivit, Translationis secundæ, metricæ conscriptæ, auctor, duasque partes adstruens ecclesiæ, in quarum altera S. Fidis, in altera vero S. Caprasii corpus conditum fuit, juniores ab antiquo anonymo in speciem dissidentem conciliat, dictisque lucem affundit, dum in una quidem eademque basilica SS. Fidis, Caprasii aliorumque Martyrum exuvias in lucem elatas decenter compositas a Dulcidio fuisse, at sanctæ Martyris nostræ corpus deinde in suburbana ecclesia, aliorum vero corpora in ipsis urbis majori basilica decenter tumulata fuisse insinuat, ita de Dulcidio canens: Iste diu absconditas invenerat reliquias Fidis, præclaræ martyris, una cum suis Sociis, quas intra urbis menœ in majori ecclesia, qua capitalis aderat, decenter composuerat; solius autem Virginis corpus seorsum condidit in quadam aedificio, constructo in suburbio.

\* supple et;  
vel forte leg.  
anaglypho  
opere

C 34 At, inquit, cum saltæ Translationis secundæ, soluto silo conscripta, auctor de Stephano II, sub annum Christi 937, ut ex tomo II Gallia Christiana auctæ col. 255 patet, Arvernensi seu Claromontano antistite consecrato, expressam fecerit mentionem, atque adeo plus quatuor sexulis a prima S. Fidis translatione remotus vixerit, impar ejus habenda est auctoritas, ut primæ translationis adjunctis, quæ ipse suggerit, sat certam fidem faciat. Fateor, nihil eum ab ætate habere, unde fidem sola sua assertione hic extorqueat: verum, cum idem ipse, fidem verbis suis facturus, ad mausoleum S. Fidis, suo etiam tempore in ea existans ecclesia, ad ipsumque pas-

sionis ejus titulum, eidem inscriptum, confidenter provocet, non est, cur ei duos adstruent ecclesiæ, in quarum altera S. Fidis, in altera vero S. Caprasii corpus, teste etiam Translationis metricæ conscriptæ auctore, honorifice conditum fuit, deneganda fides sit, præsertim, cum et aliunde, nimurum ex anonymous primæ Translationis auctore coævo, manifestum sit, S. Dulcidium, Aginnensem episcopum, ecclesiam aliquam sanctæ virginis Fidis titulo consecrasse, quam eamdem cum illa fuisse, cui Ragnovaldi uxor sese asyli loco commisit, non modo non innuit laudatus num. 28 S. Gregorius Turonensis, ut contra, dum basilicam, ad quam haec mulier confugit, unde simpliciterque S. Caprasii basilicam compellat, ab illa, que S. Fidis titulo decorata erat ecclesia, omnino diversam statuere videatur. Ceterum, teste Chesnio in Antiquitatibus Galliarum pag. 797, præter ecclesiam S. Caprasii, Aginni etiamnam extat sub S. Fidis nomine dicata Deo ecclesia, eademque, ut opinor, de qua mox laudatus uterque anonymous sermonem fecit, olim quidem Aginnensi suburbio, postea vero, dilatatus urbis pomæris, ipsi urbi innixa.

AUCTORE  
J. G.

#### § IV. Auctorum, qui de translato ex urbe Aginno ad Conchense monasterium S. Fidis corpore egerunt, ætas et fides: hujus translationis, cuius epitome datur, epocha discussa et sat prope definita. An eodem tempore illuc inde delatae sint S. Vincentii Aginnensis M. reliquiae?

A Et curo nunc de variis corporis S. Fidis translationibus, atque hoc quidem § de celeberrima illa, quæ olim Conchensi in Rhutenis Ordinis S. Benedicti canobio, nunc seculari canoniconorum collegio, splendore plurimum amplissimasque opes contulit, non modo de utriusque paulo ante laudati anonymi ætate paulo enucleatius disseverare, sed et in Chronographi Conchensis, quatenus idem argumentum tractavit, auctoritatem inquirere idcirco visum est, ut hinc, quam infra dicenda fidem mereantur, prudens lector dispiat. Ab anonymous, Conchensi, ut apparet, monacho, qui S. Fidis Translationem secundam, seu Conchensem, stilo soluto prosecutus est, exordium propterea duco, quod is multo uberior, quam alter, translationem illam exposuerit, nec subsequentem reliquerit intactam. Eum, utpote qui Stephani II, Arvernensis seu Claromontensis episcopi, aperte meminit, certissime non scripsisse ante annum Christi 937, num. superiore diximus; quin imo, cum de isto præsule anonymous sermonem instituens, hisce verbis utatur: In diebus quoque Stephani, ac præterea de Codice miraculorum S. Fidis, eo nimurum, uti videtur, quem Bernardus, Andegavensis scholæ magister, uti infra dicimus, anno Christi 4020 partim concinnavit, tamquam suis temporibus apprime cognito, mentionem

*Etas fidesque  
auctoris, qui  
translationem  
hanc silo-  
soluto,*

*et hujus situs  
atque ab alte-  
ra distinctio.*

UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN